



go, si quis innumeris longeque repetitis Scholaisticorum distinctionibus vti voluerit; tutissimum vero medium atque facillimum videbatur negando prorsus, disparata etiam pugnatio esse, inimicitias hostium a nobis repellendi. Taceo, quia palam est, viam, qua ego volui procedere, toti analogiae fidei et satisfactioni, ad quam vis infinita postulatur, etiam fauere. Sic, vt rem vnico Tibi tantum exemplo planam faciam, non sufficit praesentia, qualis humana est, ad satisfactionem; caret enim illo, quod tamen necessarium habetur. Per Dei ergo tamquam praesentiam infinitam compleri debebat. (§.VII.) Vide caussam instituti! Non sine omni ratione via Socinianorum ratiocinia diluendi paullulum a nobis mutata fuit.

§. X.

Quae atque quanta itaque non spes vincendi est, quae pedem nunc ad ea hostium consilia promoueam, quae de diuinitate hominis, tollenda, cum reuelatione inierunt! (§. IV.) Quidquid enim erit, quod, eos ex scriptura, vidi-mus, opponere, illud, si urgent, in refutatis caussam habet atque ex eo fieri plerumque solet, quod credunt, nos per hominem, qui simul Deus est, pugnantia enunciare. Age ergo! prodeat Socinianus. Quum autem proprium sit ad- curate atque logice disputantium, in forma argumēta aduersariorum exhibere, conferre caussas, et, quid in quam illarum cumque dici queat, expromere, nulla adhibita, si fa-

C 3

nam